

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.



DE  
NEBVCADNEZARIS  
METAMORΦΩΣΕΙ

*ad Dan. IV.*

DISSERIT

---

AC S M V L

V I R O

CLARISSIMO AC CONSVLTISSIMO

CHRISTIANO LVDOVICO  
STIEGLIZIO

C O S . F I L

S V M M O S  
IVRIS VTRIVSQUE HONORES

IMPETRATOS

AMICE GRATVLATVR

IOAN. DAVID MVLLER

---

A. R. S. MDCCXXXVII. MENS. IVL.

---

LIPSIAE  
LITTERIS LANGENHEMIANIS.







§. I.

**M**ira sunt, et a nemine sano fide recipienda, quae nobis tum veteres, tum recentiores de variis hominum in bestias transformationibus narrant. SOLINVS, STRABO, DIONYSIVS AFER aliique haud perfunctorie ea de re commentati sunt. Iam HOMERI tempore hancce opinionem fuisse peruulgatam, homines in feras commutari posse, nemo vnus, qui vel fugitiuo oculo carmina eius perlustrauerit, inficiabitur. Quis ignorat, quam misere VLYSSIS focii a CIRCE, celeberrima illa praestigiatrice, habituri fuerint? Quem fugiunt pericula, quibus VLYSSES ipse, alioquin sagacissimus succumbere, debuerit, nisi Deus ex machina, vt ita loquar, a latere eius steterisset? Huc quoque pertinent, quae HERODOTVS \*) de *Neurorum* fortilegijs in litteras caute retulit: *Tidem periculum faciunt se homines esse maleficos, quod dicuntur a Scythijs et ab alijs, qui Scythiam incolunt Graecis semel quotannis singuli ad aliquot dies lupos effici et rursus in primum habitum redire. Quod tamen dicentes mihi non persuadent: nihilo minus tamen illi aiunt ita esse, ac deierant.* VIRGILIUS testatur in Ponto crescere herbas, quarum vi homines se in lupos transformarent:

A 2

Has

a) Lib. IV. Cap. CV. 285. ed. Lond. κινδυνεύουσι δὲ οἱ ἀνθρώποι, ἔτοι γούτες ἔσονται, λέγονται γὰρ ὑπὸ Σκυθίων καὶ Ἑλλήνων τῶν ἐν τῇ Σκυθίᾳ κατοικημένων, ὡς ἔταος εἰκάσι ἀπὸ τῶν Νευρῶν ἕκαστος λύκος γίνεται ἡμέρας ὀλίγας, καὶ αὐτίς ὁπίσω εἰς τὸ αὐτὸ κατίσταται. Ἐμὲ μὲν νῦν τὰντα λέγοντες ἐκ ποίησι. Δέχεται δὲ εἰδὲν ἕσσειν καὶ θύνησιν λέγοντες.



- *Has herbas atque haec Ponto lecta venena  
Ipse dedit Moeris; nascuntur plurima Ponto:  
His ego saepe lupum fieri et se condere syluis  
Moerin . . . . .*

Trita est, et a nemine ignoratur, quam sibi accidisse metamorphosin sanctissime affirmat APVLEIVS in *Asino aureo*. Prius deierabo, inquit, *solem iustum videntem Deum me vera et compta memorare, ne vos ulterius dubitetis*. Si quis recentiorum super hac re narrationes scire cupit, is legat IOHANNEM BODINVM<sup>b)</sup> omnis generis praestigiarum patronum atque defensorum; qui homo non modo ipse transformationes hominum in feras credit, sed aliis etiam, vt idem credant, persuadere conatur. Eam ob causam multorum citat testimonia, inter quos eminent, PETRVS MARMOR de *praestigiis*, HENRICVS COLONIENSIS in *tract. de Lamis*, D. VLRICVS MULLERVS in opusc. SIGISMUNDO Imperatori dedicato, POMPONATIVS *Mantuanus* et THEOPHRASTVS PARACELSVS. His iungit CASPARVM PEVCERVM, artis salutaris Doctorem et celeberrimi PHILIPPI MELANCHTONIS generum, qui, relatione quorundam mercatorum, hominum, vt ait, fide dignorum, certior factus, quorannis mense Decembri praestigiatore in Liuonia conuenire, luporum formas assumere, atque hominibus multa damna infligere, rem extra omnem dubitationis aleam positam crediderit. Prouocat ad decretum, superioris seculi anno CIO IOCLXXIV, Dolae in Gallia aduersus AEGYDIVM CARNIERVM latum, qui, se sub lupi forma puellam duodecim annorum, et deinde duos adhuc infantes viuos deuorasse, coram iudice sponte professus sit. Si quid diuinando assequi licet, aniles haecce et a multis retro annis praeconceptae opinionones variis istis de NEBCADNEZARE *transformato* interpretationibus, quas nunc breuiter sub examen reuocare constituimus, ansam praebuerunt. Totam vero rem ita expediemus, vt primo in eas, quae ad *scitam* NEBCADNEZARIS *metamorphosin* pertinent, explicationes inquiramus; secundo, vt qua in re *vera* eius transmutatio constiterit, duce scriptore sacro, demonstramus.

§. II.

b) V. *Daemonol. edit. germ. Lib. I. cap. XIII.*



Ad *fictam* NEBUCADNEZARIS *metamorphosin* eorum merito refertur opinio, qui eam primo *essentialem* fuisse statuunt. Sunt, qui regem tantum quoad corpus in feram transmutatum putant, ita, ut animam, cumque ea, intellectum, voluntatem, memoriam, iudicium, vno verbo: omnes mentis humanae facultates integras retinuerit. Huic sententiae, qui patrocinantur, iterum in varias, ut fieri solet relicto rectae rationis tramite, abeunt partes. TERTULLIANO <sup>c)</sup> si credas, NEBUCADNEZAREM bouis forma, armatum cornibus, hirsuto vellere circumvolutum, ac quatuor pedibus incedentem tibi repraesentare debes. EPIPHANIVM <sup>d)</sup> contra et DOSITHEVM <sup>e)</sup> si audias, tum monstrum habebis ipso Centauro, Minotauris, Satyrisque magis horrendum, magis timendum. Fingunt enim ambo, sibi que hac in fictione perplacent, regem a parte superiore *bouis*, ab inferiore autem *leonis* formam induisse; qua igitur ratione cornibus nec non iubis ac cauda leonina instructus esse debuit. At enim, vnde tam monstruosa, uti re vera est, explicatio originem trahere potuit? Nisi omnia me fallunt ex eo, quod LXX viralis versio de *Nebucadnezare* ita legit: καὶ χόρτον ὡς βᾶς ἤσθιε — αἱ τρίχες αὐτοῦ ὡς λεόντων ἐμεγαλύνθησαν — et *gramen* ut BOS comedit; EN BOVEM! — et *pili quasi* LEONVM *excrescuerunt*; EN Leonem! quem si boui associas, prodit monstrum. Sed boni isti duumviri sibi met ipsis imponunt; Neque enim textus facer regem in bouem commutatam affirmat, sed hoc tantum, fore, ut gramen, ut herbam, alimenta vilissima instar bruti comedat; neque etiam *leonis*, sed *aquilarum* pilos commemorat — usque dum *pili eius instar* AQUILARVM *crecant*. <sup>f)</sup> Quam absfona sit haec sententia non opus est ut longa oratione demonstremus. Aequae enim nobis ridiculum videtur, bouis capiti iungere leonis caudam et iubas, ac

*Humano capiti ceruicem pictor equinam  
Iungere si velit, et varias induere plumas  
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum  
Desinat in piscem, mulier formosa superne.*

A 3

Nec

c) De poen. cap. XII. vid. Maldon.

d) In vita Danielis.

e) In Synopsi Hist. eccles.

f) ער די שערָה כנשרין רבה



Nec minus vero eorum etiam opinio erroris arguenda est, qui hanc NEBVCADNEZARIS metamorphosin tantum ad animam referentes, eum corpus quidem humanum integrum retinuisse, mentem vero perdidisse, eiusque loco bouis animam substitutam fuisse contendunt. Haec sententia quam multis sese probauit *Rabbinis* teste L. HOLSTENIO. Neque id mirum nobis videri debet: homines enim qui tam absurda vtuntur ratione, vt credant ADAMVM fuisse ea magnitudine, vt sicco pede Oceanum transierit; EVAE seductorem super serpente equitis armati instar equitasse, et centum alias huius farinae nugae; facile sibi aliisque sui similibus animum bruti corpus humanum informare posse, persuadebunt. Inest aliquid huic sententiae, quod ad *Pythagoream* illam animarum transmigrationem siue μεταμύωσιν accedere videtur; hoc vero prorsus singulare et a mente *Pythagoreorum* quam alienissimum est, vt anima corpus suum ante mortem deferat, aliaque id ipsum viuum adhuc ingrediatur. Redeamus ad NEBVCADNEZAREM. Demus, quod hi hominum, quibuscum nobis iam res est, sibi datum volunt, animam regis corpore migrasse, ac omne illud tempus, quod a Deo vindictae destinatum erat, exulem egisse; tum nobis quaerere licebit, vbi haec anima interea fuerit? In alio corpore? ita vero id ipsum corpus a parte potiori hominis animatum, necessario NEBVCADNEZARIS personam induere debuisset. In nullo corpore? hac vero ratione expers fuisset poenae illius feuerissimae, qua Deus elatum eius animum deprimere volebat. Vtrumque absurdum est, vtrumque ridiculum.

## §. III.

Nullam sententiam tam vesanam, tam ineptam esse, quin patronos, quin defensores inueniat, factum, de quo disputamus, documentum sinit praeter alia firmissimum. BODINVS enim non modo sese iis, quos adhuc refutauimus, adiungit, sed eo vsque progreditur, vt, NEBVCADNEZAREM tum quoad corpus, tum quoad animam vere in bouem mutatum fuisse canem mordacius contendat. Tam procliuus ad omnis generis errores via est, si quis semel recta se abdicauit ratione, BODINVS, adscita hypothesei homines ferarum formas assumere posse, tunc omnem mouet lapidem, vt eam ornet, firmet, ro-  
boret-



boretque. Digna sunt, ut huc transferantur verba eius; <sup>g)</sup> *il-  
lud tamen, inquit, certum est, historia sacra Nebucadnezaris con-  
firmari, quem ait propheta Daniel fuisse mutatum in bouem et  
septennio foenum et gramen duntaxat comedisse. Sed mi BODI-  
NE, vbinam tu haecce legisti? Illa verba prophetae cor eius ab  
humano immutabitur et cor bestiae ipsi detur.* <sup>h)</sup> longe alium, ac  
tu tibi fingis, habent significatum. Cor in Scriptura S. saepif-  
sime denotat *intellectum*, eo nimirum priuandus erat rex impius,  
ei substituendum cor ferinum, id est, repraesentationes ferinae,  
appetitus ferini. Sed comedit gramen, dicis, quod faciunt  
boues? Comedit quidem, sed uti bos, non autem fuit bos: *et  
herbam sicut bobus tibi in cibum gustandum dabunt.* <sup>i)</sup> Fatemur  
quidem Deum si veller, quod vero probe attendendum est,  
quam facillime corporibus nostris aliam formam dare posse: at  
enim vero eam vim herbis, eam potestatem hominibus vel ma-  
lis genii tribuere impium est, et pugnat cum recta ratione. Est  
supra vires entis *naturalis effectus supernaturales* producere,  
neque vllibi in *sacris* litteris hancce potestatem cacodaemoni  
eiusque fociis relictam legimus, ut quilibet ex quolibet, ex ho-  
mine feram, e rege bouem formare possit; quamquam haud ne-  
gemus eam magnam, imo maiorem esse, ac plerique hodie sibi  
persuaderi volunt. Si cui porro hic in mentem venit, malos  
tamen genios bonorum speciem assumere posse, is simul per-  
pendat necesse est, illud corpus, quo se induunt, tum non esse  
corpus *naturale* et *physicum*, sed *praeternaturale* et *ὑπερφυσικόν*.  
Recte igitur AVGVSTINVS <sup>k)</sup> *non itaque, inquit, solum animam,  
sed nec corpus quidem nulla ratione crediderim daemonum arte  
vel potestate in membra vel lineamenta bestialia veraciter posse  
conuerti.* — Huc quoque pertinet absurda illa et ab omni sensu  
communi remota sententia CONSTANTINI MANASSIS <sup>l)</sup>, qua  
putat

g) In *Daemonol.* Lib. II, cap. VI, p. 196.

h) v. 13. לבה מין אנושא ישנון ולבב חיוא יתיחב לה.

i) ושכח כחורין לך ישמעון

k) De *ciuitate Dei* Lib. XVIII, cap. XVIII.

l) In *breviario hist.* vid. *Script. Byz.*

Μετὰ μικρὸν δ' ὑπερφυσικὸς ὁ Ναβουχοδονόσορ  
καὶ τὴν τῆς τύχης ἐύνοϊαν καὶ δυνατὰς βασιλείας

Κάντρεύεν



## VIII

putat NEBCADNEZAREM in porcum commutatum fuisse. - In furorem, inquit, extremum deuolutus est, se ipsum insania quadam Deum fecit. Sed horrendum in modum humiliatus est a Deo de humana forma in PORCI FIGVRAM commutatus, supplicium hoc propter superbiam ferens. Dubito, an cuiquam huc vsque haec opinio vel somniando in mentem venerit tam inepta tamque nefanda nobis esse videtur. Hominem tam male sanum merito Poetae verbis alloquimur

O quae te dementia cepit!

## §. IV.

Praeter eos, qui *metamorphosin* NEBCADNEZARIS essentiali fuisse dicunt, sunt adhuc alii<sup>m)</sup>, ex quorum mente *imaginaria* tantum et mere *praestigiatoria* fuit. Fingunt regis imaginationem adeo deprauatam ac corruptam esse redditam, vt sibi re vera videretur esse bos, tametsi non fuerit, vt bouem in omnibus imitaretur, capite, quasi cornu esset, feriret, manibus pedibusque reptaret, mugitum ederet, neque amplius victu humano, sed belluino pasceretur. Idem vero populo etiam accidisse persuadere nobis conantur. Dicunt, sed non probant, oculos NEBCADNEZAREM intuentium ita fuisse fascinatos, vt crederent videre bouem, cum tamen rex esset, vt eum ad socios suos belluinos relegarent, neque amplius de ipso solliciti essent: addunt et hoc, Deum forsitan corpori NEBCADNEZARIS aliud corpus belluinum siue bouinum circumposuisse, quod tamen vel illis ipsis adhuc dubium videtur. Haec explicatio ad rectae rationis normam reuocata, ab omni praesidio ac firmamento destituta esse deprehenditur. Pugnat enim cum immensa Dei sapientia ac bonitate, vt legem, quam ipse in natura stabiliiuit, euertat, vt oculos nostros Daemonum arte fascinari patiatur, vel quod adhuc magis impium est, ipse fascinet. Quem enim in finem dati nobis sunt oculi? Vt obiecta, certo spatio a nobis distantia, cernere, ab aliis dignoscere vereque diiudicare queamus.

Κάντευθεν εἰς ἀπόνοιαν ἐκκλιθεὶς ἐσχάτην

(Αὐτὸν ἐθεσπίει γὰρ ὑπὸ φρενοπληξίας.)

Ἐταπεινώθη πρὸς θεῶν ταπεινώματι φρικώδες

Ἐἰς χοῖρον μορφῶσιν τραπεὶς ἐυχέδους ἀνθρώπου:

m) MICHAELIS MEDINA de fide Lib. II. c. VII. IOH. VIETRIUS de praest. Daem. Lib. IV. cap. I.



mus. Hunc finem vero hypothesis commemorata funditus euertit. Praeterea patrocinatorum etiam *Pyrrhonismo*. Quodsi enim euictum est, sensus, adeoque oculos, positus ponendis, me tamen fallere posse; tum nemo sibi ab errore cauere potest; tum omnis veritas, omnis certitudo rebus humanis eripitur, ac tota hominis vita in somnium euadit. Denique haec hypothesis contradicit Scripturae S.; illa enim non imaginariam, non praestigiatoriam, sed veram ac realem Nebucadnezaris transmutationem nobis recenset: *Cor eius ab humano mutetur, et cor bestiae ipsi datur, et foenum ut bos comedat; et capilli eius in similitudinem aquilarum creuerunt et unguis eius quasi auium.*

## §. V.

Semotis eorum opinionibus, qui NEBUCADNEZARIS metamorphosin vel essentialem vel mere praestigiatoriam fuisse dicunt; nunc ad eam nos sententiam examinandam accingimus, quae a prudentioribus adhuc approbata et inprimis a D. CALMETO<sup>n)</sup> defensa fuit. Hanc qui recipiunt, NEBUCADNEZAREM in grauissimam maniam et quidem illam speciem, quam LYCANTHROPIAM vocant, cecidisse aiunt, vi cuius homines succo nigro et melancholico abundantes, se esse canes, equos, feles etc. sibi imaginantur, ac horum animalium indolem ac mores quauis ratione exprimere solent. Dari eiusmodi morbum haud facile quispiam inficias ibit, qui vel semel illa aedificia, in gratiam hominum male sanorum publice exstructa, adiit. Stupendos turbata phantasia effectus producit. Sunt, qui canum more latrant; alii gallos gallinaceos voce imitantur; hic putat se esse Neptunum; ille vero instar Martis nil nisi bella crepat. Nosmet ipsi cum homine saepe loquuti sumus, qui, se esse *regem Zionis*, aperte profitebatur, et felicem hunc errorem ad mortem vsque pertinaciter propugnauit. At enim vero NEBUCADNEZAREM in hancce maniae speciem inprimis cecidisse, difficulter demonstrari poterit. *Primo* enim experientia nos docet, illos homines, quorum phantasia hac ratione perturbata est, non continuo, sed per interualla tantum, hoc malo laborare. De variis saepe rebus haud inepte loquuntur, ad quaestiones sibi propositas satis accurate respondent, ac interdum

n) In *Diss. comm. in Daniele* praep.



X  
tam acute philosophantur, vt vix credas, eos esse furiosos: repente vero, vbi occasio se offert, in pristinum iterum errorem prolabuntur. Hoc malum nimis mite fuisse, ad castigandum audacissimum regem, multo maiorem poenam fastu suo ac in Deum rebellionem promeritum. *Deinde* etiam non conuenit cum *historia sacra*; non enim *cor bouis*, sed *cor ferinum* NEBVCADNEZARI datum fuisse dicitur: ex qua loquutione hoc tantum sequeretur, eum se *feram* non autem *bouem* credidisse. *Denique* vel ex ipsis regis verbis patet, eum per omne illud tempus, quo peccatorum suorum poenam luere debebat, nihil humani praeter formam eamque deformatissimam in se habuisse: *illo tempore*, inquit, *sensus meus regressus est ad me*; °) E. antea non habuit, neque *lycambropia* laborauit. Hae et aliae adhuc rationes nos impediunt, quo minus huic sententiae subscribamus; eam potius amplectimur, qua NEBVCADNEZAR iusto Dei iudicio, siue is immediate mentem eius turbauerit, siue caussis secundis vsus sit, in phrenesin incidisse dicitur, ita quidem, vt in omnibus tum quoad *animam*, tum quoad *corpus* bestiae assimilaretur. Hac vero in re veram eius non *essentialem*, sed *accidentalem*, constituisse *transformationem*, per partes eundo nunc demonstratum ibimus.

§. VI.

*Primo* quidem quoad *animam* bestiae assimilandus erat rex impius. Omnes enim illae de immensa sua potentia et gloria repraesentationes vno ictu euanescent, nescit se esse victorem tot gentium, se esse depugnatorem tot vrbiū atque regionum, nescit se esse regem, se esse NEBVCADNEZAREM. Non cogitat amplius de augendis thesauris publicis, de protrahendis regni finibus, de extruendis nouis, de amplificandis ornandisque antiquis vrbibus. Magnatum suorum consilia reuicit, neque bonum eligere, neque malum fugere, neque belluinas inter atque humanas actiones distinguere scit. Indolem et mores ferarum sequitur; non epulatur regio modo, sed gramine, herbis ac cibis vilissimis delectatur. Vti vero ferina imaginatio in ipso est, ita etiam ferina vox. Non loquitur, vt homo, sed instar bouis mugit ac omnibus mugitu suo terrorem iniicit.

Ad



Ad hanc stupendam animae metamorphosin par accedebat in corpore transformatio: *capilli eius in similitudinem aquilarum creuerunt, et vngues eius quasi auium.* Abiectis dilaceratisque vestimentis furiosorum et malis geniis agitatorum more nudus incedit, omnem munditiam respuit, neque barbam sibi tondere patitur; ita vt totum eius corpus successu temporis prolixis, horridis, densis, ac nigris pilis velut palla contegeretur. Inprimis vero manus et pedes horrendum in modum deformantur; negligit enim vngues neque eos refecat, vt mire crescerent, ac vnguibus auium rapacium neque longitudine neque duritie cederent. Nemini haecce mira videri debent, cum res sit, quam longissima et quotidiana adhuc experientia in furiosis et melancholicis hominibus abunde testetur. Humores isti accensi adustique, quibus corpora eorum infecti sunt, non faciem modo pallidam atque deformem, non oculos modo cauos, siccos atque toruos reddunt, sed cuti quoque exteriori pilos longos ac inprimis nigros inducere solent. Quid? quod teste BARTHOLINO, P) medico experientissimo, et vngues praeter modum, et saepe etiam *cornua* in melancholicis excrescant. An quoque NEBCADNEZAR *cornua* creuerint, id equidem affirmare non ausim, quanquam pictores ea in re audaciores sint: hoc vero dubio caret, regem non tantum pilos in corpore, sed etiam vngues auiibus similes in immensam longitudinem et figuram incuruam excretos habuisse.

## §. VII.

Hanc animae et corporis immutationem alia sequebatur *metamorphosis* non minus horrenda atque atrox. Throno deiiciendus erat NEBCADNEZAR. Cum enim neque intellectus humano, neque moribus humanis vteretur, ab hominum etiam consortio arceri debebat: *et eiciant te ab hominibus, et habitatio tua erit cum bestiis agri, et gramen tibi tanquam boui gustandam dabunt, et rore coeli perfunderis.* q) Equidem probe scio plerosque Pandectarum sacrarum enarratores in ea versari

B 2

opinione,

p) In misc. med. cap. XIII. p. 66. In *vicino pago*, inquit, *rusticus adbu* *supere*st, cui *cornua* crescunt. Loquitur autem sine metaphora; alias plures ita cornutos Aethaones inuenire liceret.

q) וְלֹךְ טְרוּרִין מִיַּד-אֲנָשָׁא וְעַם חַיִּית בְּרִיא לְהוּחַ מִדְּרַךְ וְעֵשְׂבָא כְּתוּרִין לֶךְ יַעֲמִמּוּן וְנִמְטַל טְמִיא לֶךְ מִצְבָּעִין:   
וְעַם חַיִּית בְּרִיא לְהוּחַ מִדְּרַךְ



opinionem, regem in loca deserta se recepisse, ululatu suo montes et valles impleuisse, ibique cum bestiis multos annos amice vixisse. Quis vero vnquam sibi persuadebit, hoc re ipsa euenisse? Nonne aderat tenera coniux, filii obedientes, ministri fidelissimi, qui eum retinere poterant? Estne vero simile hos permissuros fuisse, vt regis insania vniuerso populo, et inquilinis et peregrinis spectaculo esset? vt tot periculis, fluminum vorticibus, montium praecipitiis, et quod inprimis notari meretur, vnguibus et dentibus animalium rapacium, quae circa Babylonem debebant, exponeretur? Potuissetne rex, omnis generis deliciis et mollioris vitae commodis assuetus, integrum septennium sub dio agere, et solis herbis agrestibus depasci? Crudele esset, infimae sortis hominem, non dicam regem, eo vsque idereelinquere. Frustra est, vt hic nobis quispiam obiiciat, textum sacrum expresse dicere NEBUCADNEZAREM ab hominibus eiectum, ad feras detrusum, coelique rore perfusum fuisse; haec omnia recte se habent, dummodo recte explicentur: in hoc enim rei cardo vertitur. — *Eiciet te ab hominibus.* Furiosus et mente captus rex omnino ab hominibus separari ac compedibus confringi debebat, ne illis damna infligeret, neue in semet ipsum ac viscera propria saeuiret. Huc quoque pertinet illa phrasis textus: *et alligetur vinculis ferreis;*<sup>2)</sup> quanquam ab aliis ad regnum firmum et inconcussum obtorto licet collo, trahatur. *Et habitatio tua erit cum bestiis agri, et rore coeli perfunderis.* Haec comminatio dubio procul eo ipso impleta fuit, cum rex in vincula coniectus singulari quodam conclauis includeretur. Ibi enim; ab omnium hominum societate semotus, ferreae instar tanquam in spelunca latere debebat. Fieri etiam potuit, vt animalia quaedam, quorum inprimis consortio delectabatur, ad eum admitterentur. Vox *agri* nihil ad sensum confert, et *fera agri* in genere feram denotat, vti ex illo loco patet, quo *serpens seductor omni animali agri astutor*<sup>3)</sup> dicitur. Sed rore coeli perfusus est? Quanquam haec verba more orientalium nihil aliud, ac miserrimum istum statum, ad quem rex detrudendus erat, significare videntur; attamen largiores esse idque

1) ובאסור דר פרול ובחש

2) Gen. III. I. והנחש היה ערים מכל חית השדה



que proprie euenisse concedere possumus. Homines melan-  
cholici, ne atra bilis praeter modum in ipsis augeatur, inter-  
dum aurae refrigerationem captare debent. Quid igitur, si *Ba-  
bylonii* regem suum, praesertim malo remittente, in hortos re-  
legatum tantum custodia liberiori tenuissent? Hoc mihi quidem  
multo propius ad rei veritatem accedere videtur, ac si quis  
affirmet, eum plures annos vitam belluinam in syluis ac cauer-  
nis inter bestias egisse. Haec igitur explicatio, si quid iudi-  
cando valemus, ceteris omnibus praeferrī debet. Nihil enim  
ponit quod non re ipsa factum esse legamus; nihil fingit mira-  
culis miracula praeter necessitatem addendo; nihil denique in  
se continet, quod vel cum sana purgataque ratione pugnet, vel  
*Scripturae* S. narrationi aduersetur. Quodsi enim poni-  
tur, uti omnino re bene putata ponendum est, *NEBU-  
CADNEZAREM* tam diu a suis custoditum fuisse, vsque ad se  
rediret ac singulari Dei gratia tum *sanitati* quoad *corpus*, tum  
vero etiam *rationi* quoad *animam* restitueretur, quod praeter-  
lapso septennio textus sacer factum dicit; tum omnia mire  
inter se conspirant, et facillime ad dubia, quae ab iniquis rerum  
aestimatoribus hic mouentur, responderi potest.

## §. VIII.

Sunt enim quibus haec *Nebucadnezaris* transformatio  
tam singularis atque extraordinaria esse videtur, ut omnem ei  
fidem denegare nulli dubitent. In horum numero *ORIGE-  
NES*,<sup>1)</sup> eiusque sectatores *Origeniani* inueniuntur. Is pro insano  
totam *Scripturam* S. in allegorias conuertendi studio falli eos  
putat, qui veram hinc a *DANIELE* recenseri historiam crederent;  
*Cacodaemonem* potius et lapsum eius describi somniat; imo re  
vera somniat: nemini enim, tametsi diu haruspicum collegiis in-  
terfuerit, praeter *ORIGENEM* hanc in mentem venire potuisse  
explicationem, certissime scio. Hac vero ratione si nobis lice-  
ret oracula sacram enodare, tum *Scripturam* S. cerei nasi in-  
stat in hanc vel illam partem vertere possemus. Eandem fere  
tibiā inflat *IOSEPHVS* scriptor rerum iudaicarum celeberrimus.  
Narrat quidem *NEBUCADNEZARIS transformationem*,  
sed ita ut haud difficulter, quid ipse senserit, diuinari queat.

1) In *Danilem*.



## XIV

Quodsi enim vel minimam huius facti partem veram credidisset, quid opus erat, haec suae narrationi verba addere: *nemo autem mihi vitio vertat, quod horum singula, ita ut in antiquis libris ea reperio in scriptis meis referam. Nam statim ab initio huius historiae contra eos, qui in rebus narratis desiderabunt quidpiam, vel exposculabunt, a me praecautum est, asseuerando, quod ebraeorum libros solum graece reddam pollicendoque futurum, ut in rebus istis exponendis nihil illis de meo addam vel detrahám.*”) Scilicet hoc sibi hic et alibi vult dari IOSEPHVS, Scripturae S. fidem iam multis locis suspectam. Egregia sententia et homine Mosis sectatore, ut videri, vult dignissima! Dubium vero princeps, ne quid dissimulemus, quod contra veritatem huius facti historicam moueri solet et iam ab ipso ORIGENE suo tempore motum fuit, hoc est; quaerunt nimirum increduli, cur scriptores prophani tam memorabilem historiam silentio praeterierint; cum tamen de eodem rege plura eaque multo minoris momenti annotata scriptis suis posteritati reliquerint? Non vna ratione difficultas haec e medio tolli potest. *Primo* enim monumenta illa Imperii Chaldaici authentica dudum iniuria temporis perierunt; *secundo* male ratiocinantur, qui sibi persuadent hanc Nebucadnezaris transmutationem adeo tritam, adeo peruulgatam fuisse, vt omnibus vel remotissimis gentibus innotuerit: e re erat familiae regiae, omniumque Magnatum aulae Babylonicae, vt illa quouis modo occultaretur, tegetetur; *tertio* vel vnicum scriptoris candidi coaeui, fide digni, a partium studio alieni testimonium in rebus historicis maioris ponderis est centum aliis non vnam ob causam suspectis: omnes vero haec dotes in vno DANIELE coniuactas inuenimus. Quid igitur obstat, quominus narrationi ipsius assensum praebeamus? Potuit verum dicere, et quod voluerit, nefas esset adhuc in dubium vocare. Equidem scio nonnullos interpretes opinari illa verba ALPHAEI apud

v) In *Ant.* Lib. X. c. IX. p. 536. edit. Hau. Εγκάλειψαι δὲ μοι μηδὲς ἕτος ἐκαστα τούτων ἀπαγγέλλαντι διὰ τῆς γραφῆς ὡς ἐν ταῖς ἀρχαῖαις εὐρίσκω βιβλίαις. καὶ γὰρ εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἱστορίας, πρὸς τοὺς ἐπιζητήσαντας τί τῶν πραγμάτων ἢ μεμνημένους ἠσφαλισάμενη, μόνου τε μεταφράζουσαν τὰς ἑβραίων βίβλους ἔπαυεν εἰς τὴν ἑλληνίδα ἡλθῆσαν, καὶ πάντα δηλώσειν μήτε προσθήσῃς τι τοῖς πράγμασιν αὐτοῦ ἴδιου, μήτ' ἀφαιεῖν ὅτι ὑπερχημένος.



apud EVSEBIVM \*) de hac NEBVCADNEZARIS metamorphosi explicanda esse: *ille ego Nabuchodonosorus, o Babylonii, imminentem vobis praenuntio calamitatem - Persicus veniet mulus, qui daemorum vestrorum usus auxiliis, durum ceruicibus vestris imponet iugum. Mihi priusquam ei tam nefaria mens iniecta sit, feliciorem exitum sortiri liceat. Haec effatus, παραχρημα ὑφάνιστο, repente evanuit: sed dolendum est hancce opinionem omnino robore destitui. Ultima enim verba non de prodigio quodam in rege peracto, sed de morte ipsius agere, quae immediate consequuntur, et in quibus successores NEBVCADNEZARIS EVILMERODACHVS et NERIGLISSOR commemorantur, aperte demonstrant. Deinde etiam graeca vox ὑφάνιστο commode hanc explicationem admittit.†) Tantum de NEBVCADNEZARE!*

## §. VIII.

Haecce ego, CONSVLTISSIME STIEGLIZI, illo ipso tempore in pectore voluebam, cum TE propediem Doctoris vtriusque Iuris dignitate ornatum iri, fama ad me perferret. Dicit vix potest quam mirifice hoc nuncio laetatus fuerim, tum quod meas de *Nebucadnezare* cogitationes, exiles quidem, TIBI tamen haud iniucundas, ut spero, per litteras TECUM communicandi occasionem nanciscerer; tum vero inprimis, quod hoc ipso felicitatis illius, quam dudum in votis habueram, testimonium quoddam publicum amoris mei atque obsequii erga TE edendi, particeps fierem. Tanta enim benignitas TVA nunquam non in me existit, tanta benevolentia, atque humanitate me vbique amplexus es, ut, si hodie, quo TIBI Magnificus ICTorum Ordo summos in vtroque Iure honores decernit, tacere vellem, vel in aeternum mihi tacendum et ut homini ingrato a conspectu TVO amicissimo fugiendum esse intelligam. Indignus sane essem fauore atque amicitia, qua me, qua studia mea hucusque dignatus es. Permite igitur, CONSVLTISSIME STIEGLIZI, ut communibus omnium applausibus meos etiam hodie interponam. Quodsi equidem in laudes

T V A S

x) In *praep. Lib. IX. cap. ult.* ἕτος ἐγὼ Νασυκοδρασάρος ὁ Βαβυλωνίαι τὴν μέλλουσαν ὑμῶν προσηγγέλλω συμφορὴν - ἤξει Πέρσης ἡμίονος τοιαυτῆ, ὁμητέροισι δαίμοσι χρεώμενος συμμαχοῦσιν ἐπάξει δουλοσύνην ἐμέ τε πρὶν εἰς νόον βαλέσθαι τάντα, τέλος ἡμέτερος κυρῶσιν. Οὐ μὲν θεσπίσας ΠΑΡΑΧΡΗΜΑ ΤΦΑΝΙΣΤΟ.

y) Vid. *VSSERII Annales* ad an. 3442.



## XVI

TVAS atque merita excurrere vellem, quam amplius mihi hodie pateret campus! Quem enim latere potest et *naturam* et *artem* quid efficere possint in TE vno expertas esse? Omnes, quotquot TE norunt, habeat, quod in TE non modo intueri, sed et imitari debent, exemplar virtutum paternarum perfectissimum. Magnam atque exquisitam TVAM eruditionem, artium humanarum scientiam, leges explicandi solertiam, in scribendo concinnitatem, in disputando animi praesentiam ac difficillimos nodos non secandi sed soluendi peritiam omnes, admirantur, pauci aequiparant, nemo vnus ignorat. Tam egregie, tam pulchre nuper in splendidissimo Procerum Ciuitatis atque Academiae nostrae confessu stetisti, vt mihi, si vnquam, tum sane demum consummatissime placeres. Iure igitur ac merito et applaudentibus omnibus bonis, Eruditio TVA hodie coronatur. Hunce honorem, quo in posterum Doctor vtriusque Iuris meritis saluaberis, quemque alius longe maior, vt sine tripode coniicio, breui consequetur, non minus TIBI quam SPLENDIDISSIMAE GENTI TVAE, cuius gloriam et splendorem perpetuo augebis ex animo gratulor. In primis vero ILL. PARENTI TVO COS. LIPS. Patrono meo atque Maecenati ad cineres vsque deuenerando, nouum felicitatis incrementum, quod hodie, TE auctore, cepit, ea qua par est animi reuerentia atque candore gratulor, nihilque magis in votis habeo, quam vt multos adhuc annos prospera et nunquam interrupta valetudine vtatur. Ceterum IPSIVS patrocinio TYOQUE fauori et amicitiae, qua sanctius nihil habeo, me totum quantuluscunque sum, trado atque commendo. Vale, CONSVLTISSIME et SVAVISSIME STIEGLIZI, Res TVAS age feliciter, TVI que semper similem esse memento. Iterum vale.













Fd 5611

ULB Halle  
002 715 18X

3




74306

VD 77

NC











DE  
NEBVCADNEZARIS  
METAMOPΦΩΣΕΙ

*ad Dan. IV.*

DISSERIT

AC SIMVL

V I R O

CLARISSIMO AC CONSVLTISSIMO

CHRISTIANO LVDOVICO  
STIEGLIZIO

COS. FIL

S V M M O S  
IVRIS VTRIVSQUE HONORES

IMPETRATOS

AMICE GRATVLATVR

IOAN. DAVID MVLLER

A. R. S. MDCCXXXVII. MENS. IVL.

LIPSAE  
LITTERIS LANGENHEMIANIS.